



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Illvstri Regi Boemiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

multa damna & opprobria inferentes; nosque non sine multis & magnis expensis seditionem populi potuimus mitigare. Nunc autem adversario tuo sublato de medio, ne contra te alius suscitetur, quamvis nepos ipsius jam tibi adversarium se opponat, diligenti studio praeavemus, ad promotionem tuam efficaciter intendentes, sicut apostolica scripta testantur, quae pro te diversis personis super variis articulis destinamus. Tu ergo, fili carissime, benignitatem & humilitatem cunctis ostendens, honorem & gratiam exhibeas universis, à sermonibus asperis & injuriolis operibus abstinendo; nec in concessionibus durus, nec in promissionibus sis avarus, fideliter tamen observans utraque, quia non dabis unum pro mille; immo recipies plusquam mille pro uno. Principes quoque tam ecclesiasticos quam mundanos per idoneam cautionem de omni reddas indemnitate securos, ad gravitatem & consuetudinem regiam reinformans. Personam verò tuam cautè custodias, & torpore deposito, sollicitudinem geras in omnibus vigilantem. Si verò tibi videris expedire, ad consummationem matrimonij jam tractati * securè procedas, super quo nos matri puellae, Patriarchae, Aquilegenſi, & Henrico de Calandrino, nec non & Henrico de Masssch, nostras litteras destinamus. Super altero verò conjugio, si tibi & imperio expedire cognoveris, tum nobis non differas beneplacitum intimare, de plenitudine gratiae nostrae securus quòd ad omnia quae tibi noverimus profutura diligens studium impendemus & operam efficacem; sicut dilectus filius magister Henricus nuntius tuus regali prudentia poterit exponere viva voce, qui diligentiam & sollicitudinem nostram, propositum & affectum quem circa te gerimus, plenissimè intellexit.

ARCHIEPISCOPO ET EPISCOPIS
suffraganeis Magdeburgensibus.

Epist. 154. **C**um dissensionis materia quae peccatis exigentibus hæcenus in imperio pullulavit nimis damnosa fuerit, non tantum Romano imperio, verum etiam toti populo Christiano, nos, qui ad regimen universali Ecclesiae superna sumus dispositione vocati, diligenti debemus sollicitudine praeavere ne per alienius insolentiam reviviscat quae per divinum iudicium est sublata, quamvis illud crudele facinus detestemur quod à filiis Belial nequiter est commissum. Quocirca fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus & in virtute obedientiae districtè præcipimus quatenus ad pacem imperij fideliter intendentes, nullatenus permittatis, quantum pro viribus impedire potestis, ut quisquam de novo eligatur in Regem, ne fiat novissimus error peior priore. Ut autem omnis tollatur occasio malignandi, nos tam vobis quam aliis Archiepiscopis & Episcopis sub interpositione anathematis auctoritate apostolica interdiximus ne quis alterum inungere vel coronare præsumat; ita ut ipso actu excommunicatus existat quicumque contra hoc apostolicum interdictum de novo præsumpserit inpendere vel suscipere huiusmodi sacramentum; sciatque se dignitatis & ordinis periculum incursum si

quis in hac parte præsumpserit nostrum violare mandatum.

In eundem modum Archiepiscopo & Episcopis suffraganeis Ecclesiae Maguntanae.

In eundem modum Archiepiscopo & Episcopis suffraganeis Ecclesiae Colonienſis.

In eundem modum Archiepiscopo & Episcopis suffraganeis Ecclesiae Salzbürgensibus.

In eundem modum Archiepiscopo & Episcopis suffraganeis Ecclesiae Trevirensibus.

In eundem modum Episcopis suffraganeis Ecclesiae Bremensibus.

Item Patriarchae Aquilegenſi & suffraganeis eius.

VNIVERSIS PRINCIPIBVS TAM
ecclesiasticis quam mundanis in Theutonia constitutis.

Cum dissensionis materia &c. usque Quocirca universitatem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica vobis scripta mandantes, & in remissionem peccaminum injungentes, quatenus ad pacem imperij fideliter intendatis, consentientes dispositioni divinae, quae circa carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem evidenter elucet, eique ad regendum imperium efficaciter assistatis; ne si secus a quoquam damnabili fuerit occasione præsumptum, præter divinam offensam, apostolicam quoque censuram incurrat. Nos enim eidem Regi, quem divino iudicio credimus approbando, nostram in hac parte iudicium approbante, parati sumus ad honorem & exaltationem imperij favorem & auxilium impertiri, cum credamus quòd & ipse ad honorem & exaltationem Ecclesiae studium velit & operam adhibere; ita quòd eo faciente qui est actor unitatis & pacis, diebus nostris utrumque per alterum optatum suscipiet incrementum.

ILLVSTRI REGI BOEMIAE.

Epist. 156. **S**icut nuntiis & litteris tuis nobis multotiens intimasti, ab obsequio carissimi in Christo filij nostri Regis Ottonis illustris non voluntas, sed necessitas, te subduxit, integram ei fidem servans in pectore, quam non poteras in opere demonstrare. Cum ergo jam ipsa necessitas divino iudicio sit sublata, excusationem honestam prætereundam non valeres, si ei de cetero non impenderes auxilium & favorem. Tu ergo, fili carissime, divinae dispositioni consentiens, quae causam ipsius Regis evidenti iudicio approbavit, nostrum in hac parte iudicium approbando, patenter & potenter eidem adhaereas, fidem ei præstitam con se ransillatam, ut per hoc divinam & apostolicam gratiam uberius merearis. Alioquin, præter divinam offensam, apostolicam quoque censuram incurreres, cum eidem Regi nolimus in suo iure deesse, qui sumus omnibus in sua iustitia debitores.

In eundem modum nobili viro Langravio Thuringia.

In eundem modum Duci Brabantia, principio sic mutato. Certa multorum relatione didicimus quòd ab obsequio &c.

In eundem modum aliis Principibus qui præfato Regi aliquando adhaeserunt.

Epist. 155.

Epist. 156.